

## ARTICULUS III.

## Utrum sensus sit potentia pure materialis, cujus actus solis materiæ motibus absolvatur.

191. Controversia hæc, sicut et altera mox tractanda in sequenti articulo, differri potuisset ad generalem de cognitione disputationem; verum quia ad naturam animæ brutorum investigandam necessaria est, placet hic utramque statim aggredi, antequam ad instinctum cæterasque eorundem facultates gradum faciamus. Primus error circa naturam sensationis est materialistarum, qui nec substantiam ullam præter materiam nec actiones materiæ actionibus præstantiores agnoscunt, quamquam diversis doctrinam istam formis verbisque vestitam proposuerint. Primo enim antiquissimis temporibus veteres atomistæ (1), Leucippus (2), Democritus (3) et Epicurus (4), quos deinceps secutus est impius pœta Lucretius Carus, sensationes, immo et intellectiones, peragi existimarunt per meram *idolorum* vel *imaginum* aut *simulacrorum* receptionem (5), quæ velut subtilissimæ membranæ ex corporibus abrasæ, quaquaversus volitent, animum per

Err. r  
materialistarum  
circa  
naturam  
sensationis.

(1) Vide S. August., epist. 118 (al. 56) post medium; Plutarch. (*de placitis Philosophor.*, lib. 4, cap. 8; *Sympos.* lib. 8, quest. 10). Cicer. (*de Natur. deor.* lib. 1; et lib. 1 de *Finibus*).

(2) Vide Card. Gonzalez, *Histor. de la filos.* tom. 1, num. 42. Madrid 1886). Tennemann (*Manuale della Storia della Filosofia.* tom. 1, num. 104).

(3) S. August. (loc. nup. cit.), Aristot. et S. Thom. (opusc. de *Sens. et sensato.* lect. 4, paragr. a, b), Tennemann (loc. cit., n. 105). Card. Gonzalez (loc. cit., num. 43).

(4) Card. Gonzalez (ibid. num. 87), Tennemann (num. 153).

(5) «Dico igitur rerum effigies tenuisque figuras Mittitur ab rebus summo de cortice earum, Quæ quasi membranæ vel cortex nominanda est, Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago, Quo juscumque cluet de corpore fusa vagari».

Lucretius, *de Natura rerum*, lib. 4, vers. 46-51. Vide etiam S. Thom., 1 p., quest. 84, art. 6.

organa ingredientur, sicque reddant illum cognoscentem. Eamden sententiam paululum immutatam post multa sæcula instauravit impius scriptor et scepticus Thomas Hobbes (1), ac postea La Mettrie, Cabanis, Morgan (2), Broussais (3), quos sequitur recentior turba materialistarum et positivistarum cum Moleschott, L. Büchner, Tyndall, Lewis, Feuerbach, Spencer, Luys, Taine (4) alique (5) nostræ ætatis materialistæ, quos non puduit obsoleta jam diu commenta novo verborum apparatu phalerata in medium proferre. Ex horum sententia sensatio aliud non est, quam certi motus mere mechanici, titillationesque fibrillarum cum cerebri reactione. Etenim inter cerebrum et organa corporis externa tenduntur nervi sensiferi, per quos impressiones et excitationes vel ab objectis externis vel ab interioribus partibus provenientes ad cerebrum transmittuntur, in eoque certas quasdam modificationes ac reactiones determinent, necesse est. Cum itaque, analysi peracta sensationis, nihil aliud, inquit ut, deprehendamus præter modificationem ac reactionem cerebri, organicis impressionibus ac excitationibus respondentem; in hac dumtaxat sensationem consistere concludendum

quorum doctrina  
exponitur.

(1) Vide Card. Gonzalez (*Historia*, tom. 3, num. 42).

(2) «Quelle que soit la nature des forces vitales, soit qu'elles naissent de forces inconnues appartenant aux éléments connus, ou de la présence d'un principe qui n'a pas encore été découvert, elles sont toujours des conséquences de propriétés physiques de la matière», Morgan, *Essais philosophiques sur les phénomènes de la vie*, pag. 61, apud Frédault, *Traité d'Anthropologie*, pag. 127.

(3) «C'est, le système nerveux qui perçoit, sent, raisonne, veut, prévoit, etc... Les phénomènes intellectuels sont aussi le résultat d'une matière nerveuse... Car la matière nerveuse dans un certain état produit par son action tous les phénomènes intellectuels chez les animaux, aussi bien que chez l'homme». Broussais apud Frédault, *ibid.*

(4) «Il n'y a rien, inquit positivista Taine, de réel dans le moi, sauf la file des événements; ces événements, divers d'aspect, se ramènent tous à la sensation; la sensation elle-même, considérée du dehors et par ce moyen indirect qu'on appelle la perception extérieure, se réduit à un groupe de mouvements moléculaires». Taine, *L'Intelligence*, préface, p. 9.

(5) Apud cl. P. Tilmann Pesch. (*Instit. Philos. natural.* num. 181, pag. 184, Friburgi Brigovici, 1880), Card. Gonzalez (tom. 4, num. 47: 54).

est (1). Cæterum si quæras ab istis hominibus, quid rei sint tandem in cerebro modificationes illæ, in quibus sita est sensatio, respondent eas non esse aliud nisi vel *motus moleculares* cerebri, quemadmodum autumat Moleschott alique, vel *phosphorescentiam* vel actionem phosphori in cerebro contenti, quæ est sententia Caroli Vogt, vel virtutem ac naturam peculiarem quarundam combinationum, ut vult Tyndall (2). Vel tensionem aliquam electricam, ut aliis placet; alii demum, ut Maudsley (3), fatentur nescire se definire genus motus vel modificationis, in quam transformantur impressiones vel excitationes ad cerebrum transmissæ ad constituendam sensationem; nihilominus probabile reputant, quod motus ille analogiam servet cum multiplicibus combinationibus et infinitis vibrationibus sonoris.

Et quoniam activa potentia ex operatione atque effectibus dignoscitur, facultas sensitiva etiam secundum istos scriptores pure materialis dicenda est, nihilque continet præter vires et qualitates corporibus omnibus communes, vel ad summum præter temperiem quamdam materiæ dispositionemque accidentalem, motibus illis, in quibus sensatio sita esse dicitur, recipiendis accommodatam. Unde etiam principium correlationis virium naturalium et conversionem aliarum in alias, quod jactant Physici in naturalibus phænomenis explicandis, extendunt materialistæ ad vires seu facultates sensitivas atque intellectivas, quas volunt aliud non esse nisi formas quasdam vel transformationes virium pure materialium (4). Quo spectat etiam illa Tyndalli sententia, qui rationem ultimam nobisque imperiam phænomenorum cogitationis et sensationis reposuit in *vita cosmica* (5), cujus nomine nihil aliud reapse videtur intelligi nisi motus atomorum materialium, qui diversimode transformatus omnia

(1) Vide Henry Madsley, *Physiologie de l'esprit. Traduit de l'anglais par Alexandre Herzen* pag. 78, 79. Paris, 1879; Spencer, *Les premiers Principes*, pag. 191.

(2) Vide apud cl. P. Franciscum Salis-Seevis, *Della conoscenza sensitiva*, num. 428, pag. 208. Prato, 1881.

(3) Op. cit., pag. 79.

(4) Vide Herbertum Spencer, *Premiers principes*, pag. 191 seqq.

(5) Tyndall in sua *Dissertatione academica*, ann. 1874, pag. 8 et 100.

phænomena mundi gignat sub forma caloris, lucis, electricitatis, affinitatum et actionum chemicarum vitæque, sive vegetativæ, sive sensitivæ, sive intellectualis.

Doctrinæ hujus fulcimentum fortissimum desumi putant materialistæ ex *Æsthesimetria*, vel mensura sensationis et intellectiois, cujus novi inventi plena sunt opera *Psycho-Physices, Psycho-Physiologiæ et Physico-Physiologiæ*: hæc est enim recentissima *novitas* physiologica, quæ in Germania primum inventa, et in Galliam mox aliasque nationes advecta, plurimorum in se studia convertit, eorum potissimum, qui ad tuendam materialismi causam undique argumenta conquerere sollicitè curant. Quid enim? Sensatio, inquit, mensurari potest, certaque deprehenditur relatio inter excitationem in organo receptam et sensationem: unde etiam multis experimentis illa detecta est lex, quæ ab inventoris nomine dicitur *lex Weber*, ex qua,  *crescente secundum geometricam proportionem actione objectorum sensibilium in organum, crescit vel intensior fit sensatio secundum proportionem dumtaxat arithmeticam*: aliis verbis, *sensationes crescunt, vel intensiores fiunt sicut logarithmi excitationum, ex quibus illæ gignuntur* (1). Atqui quæ materiali quantitate mensurantur, certamque servant relationem cum materiali organi excitatione, unde procedunt, ea jure merito dixeris esse mera accidentia vel affectiones materiæ. Ergo sensatio inter meras affectiones materiæ numeranda est.

(1) Qua de re fuse W. Wundt (*Éléments de Psychologie physiologique*, trad. par... Rouvier, tom. 1, pag. 363 seqq., pag. 377 seqq. Paris, 1886). Vide etiam Bonriot., S. J. (*L'ame et la Physiologie*, pag. 114 seqq.). Farges (*Le Cerveau, l'Amé et les Facultés*, Deuxième édition, pag. 208 seqq., pag. 223 seqq.).

Ex hac Weberiana lege concludit Fechner hanc aliam, quæ in idem recidit: Intensitas sensationis æquat logarithmum excitationis multiplicatum per constantem quamdam quantitatem, quæ pro singulis sensationibus experimento definienda est. Quam rem sic declarat clarissimus ac Rvms D. Albertus, Farges: «C'est la loi psychophysique de Weber que nous formulérons, d'après Fechner, d'une manière plus complète, en disant: l'intensité d'une sensation est égale au logarithme de son excitation multiplié par une quantité constante que l'on détermine pour chaque genre de sensation.—Voici ce qu'ils entendent par la quantité constante. Soit deux poids A et B;

192. PROPOSITIO. Absurda prorsus est sententia, reprensens sensationem in motibus pure mechanicis vel materialibus quomodolibet explicatis: quare facultas etiam sensitiva præstantiorem aliquam ætivistatem importat, ab omnibus viribus et qualitatibus materiæ brutæ et a quacumque resultantiâ illarum specificè distinctam.

Sensatio non  
consistit  
in motibus pure  
mechanicis  
vel materialibus.

Probatur prima pars: *Sensatio non consistit in motibus pure mechanicis vel materialibus.* 1.<sup>o</sup> Ex sensu communi omnium. Totum enim genus humanum, si materialistas dumtaxat excipias, motus quoscumque pure locales et mechanicos fibrillarum aut particularum penitus discernit a sensationibus, nec quippiam videt commune inter meras titillationes utcumque variatas cerebri aut organorum, etiam si phænomena phosphorescentiæ et electricitatis habeant adjuncta et representationes atque imagines intentionales et vitales rerum, quas præ se fert sensatio, prout ipsa nobis conscientia testatur. Id quod adeo manifestum est, ut vel

s'ils sont à peu près égaux, la main sur la quelle vous les posez (et qui doit être immobile ou fixée sur une table) ne sent aucune différence entre eux, et les juge égaux. On ajoute alors graduellement des poids à B, jusqu'à ce que la différence des deux poids A et B devienne perceptible; on suit après la marche inverse, et l'on fait décroître graduellement le poids B jusqu'à ce que la différence des deux poids cesse d'être perceptible. Or l'expérience indique que le poids qu'on a dû ajouter ou retrancher, pour que la différence fût perceptible, est dans un rapport constant avec le poids primitif. Pour 10 grammes il a fallu ajouter 3 gr. 33; pour 100 grammes, 33 grammes; pour 1000 grammes, 333 grammes, etc. Autrement dit, le poids additionnel est dans les rapports de 1/3 avec le poids primitif. La fraction qui indique ainsi, pour chaque espèce de sensation, le degré d'intensité que les excitations doivent atteindre pour que les différences de sensation soient perceptibles, s'appelle la *constante proportionnelle* de cette sensation. En voici le tableau pour chaque sensation d'après les mêmes auteurs. Sensations tactiles: 1/3; Sensations de température: 1/3; Sensations auditives: 1/3; Sensations musculaires: 6/100; Sensations visuelles: 1/100. Ces données étant connues, il sera facile de trouver la valeur de la sensation S, à l'aide de la formule suivante où K représente la quantité constante, et X l'intensité de l'excitation:  $S = K \log. X$ . Op. cit. pag. 223, 224. Deuxième édition. Paris, 1892.

ipsum materialistas latere minime poterit (1): nihilominus malunt in præconceptis erroribus perstare, resque toto cælo diversas ad eandem speciem revocare, oculos voluntarie claudendo veritati, et contra rationem pertinaciter recalci-trando.

Prob. 2.<sup>o</sup> Ea specie differunt, quæ proprietatibus ornantur diversissimis. Atqui sensatio proprietatibus atque attributis gaudet oppositis motui mechanico ac pure materiali. Ergo dici nequit sensationes in motibus ejusmodi reponendas esse.

Minor liquet. Nam α) Motus mechanicus certam habet directionem et velocitatem. Quænam autem, quæso, est directio, quænam velocitas actionis et phænomeni illius, quod nomine sensationis omnes intelligimus? β) Motus mechanicus ab uno in alium corpus, ab una in aliam partem communicabilis est. At vero sensatio ita est organo proprio adstricta, ut non communicetur alteri, nec migret in alium subjectum. γ) Motus mechanicus est affectio mere subjectiva, non vero alterius rei representativa, secus enim quidquid aliquo modo localiter movetur, cognosceret, ac representationibus intentionalibus afficeretur. At vero e contrario sensatio est forma et actus representativus alterius, ac proinde non est affectio pure *subjectiva*, sed simul etiam *objectiva*, utpote similitudinem referens atque imaginem objecti alicujus. Quamobrem Physiologi sensationes communiter reponunt inter vitales functiones relationis; quia nimirum per

(1) «Qual connessione immaginabile v'è fra certi moti de certe molecole nel mio cervello da una parte e dall'altra i fatti primitivi indefinibili, innegabili: lo provo dolore o piacere, sento l'odore d'una rosa, assaporo la dolcezza, veggo del rosso, odo una melodia?». Du Bois-Reymond, *Discorso academico, tradotto dal Moigno-Actualités scientifiques*, n. 45, pag. 140, apud cl. P. Salis Seewis, op. cit. pag. 298.

Ipse etiam Tyndall talia sibi objicit in persona episcopi Butler: «Prendete degli atomi, che doviamo supporre morti atomi morti d'ossigeno, atomi morti di azoto, di carbonico, d'idrogeno, quanti altri atomi vorrete, ma morti come grani di piombo, e quanti ne possono entrare nella composizione del vostro cervello: fateli correre e combinare a piacere vostro, supponete fra loro urti e pressioni: potete voi comprendere come da questi moti meccanici possa nascere la sensazione, il pensiero o l'affetto?». Apud Salis Seewis, loc. cit.

sensationes animal commercium peculiarissimum ac sui generis habet cum mundo sensibili, trahendo illum ad se intentionaliter, seu in vitali quadam imagine, et apprehendendo; dum e converso reliqua entia velut reclusa latent intra domesticos parietes, quin quidquam advertant. Quamquam enim omnia entia, etiam non cognoscitiva, mutuis relationibus actionum ac passionum physicarum teneantur, solæ substantiæ cognoscentes vita hac potiuntur relativa illo modo specialissimo, quem importat immanens ac intentionalis objectorum representatiō. Hinc eam S. Thomas entium cognoscentium a non cognoscentibus differentiam statuit, quam ipsa nobis conscientia refert: *Cognoscentia*, inquit, *a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius. Nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet majorem amplitudinem et extensionem. Propter quod dicit Philosophus (De Anim., lib. III, text. 37), quod anima est quodammodo omnia* (1).

**Prob. 3.<sup>o</sup>** Si sensatio consisteret in mechanicis motibus ac titillationibus fibrillarum, ubicumque adessent tales motus, adesset quoque sensatio. Atqui tamen non omnia corpora sentiunt, nec possunt sentire. Et re sane vera impressiones ac titillationes eadem immittuntur ab omnibus corporibus in omnia corpora circumstantia et in singulas partes eorundem: et nihilominus sensatio non est nisi in quibusdam corporibus, certæque sensationes nonnisi in certis corporis partibus.

**Dices**, id provenire ex diversa dispositione ac temperamento corporum illos motus recipientium.—**Bene quidem**; sed in primis non satis cernitur, cur saltem calor et sonus ab omnibus corporibus non sentiatur. Hæc namque qualitates æque percillant organa animalium ac reliqua corpora; non enim solum animalia caloris impressioni subjiciuntur, aut solum auris eorum vibrationes excipit corporis sonori. Deinde addo in cadavere, in dormiente, et in eo qui lethargo

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 14, art. 1.

opprimitur, quantumvis organa sanissima habere possit, adesse in sensibus easdem dispositiones organicas ac materiales, easdemque impressiones ex corporibus circumstantibus advenientes, quin tamen ullum cernatur vestigium sensationis.

**Probatur 4.<sup>o</sup>** Motus ejusmodi mechanici, in quibus sensationem materialistæ reponunt, extrinsecus imprimuntur, et subjectum illos recipiens mere passive se habet. Atqui experimur sensationes, utpote veras cognitiones, esse operationes immanentes, in nobis ita receptas, ut a nostra activitate proficiscantur. Ergo nequeunt sensationes cum illis motibus permisceri. Enimvero in sententia materialistica, quid differt homo sentiens a chorda citharæ vibrante vel machina, per vim extrinsecus impressam mota?

**Prob. 5.<sup>o</sup>** Certum est sensationibus determinari sæpe in corpore animantium motus locales et effectus potentissimos. Sic simplex aspectus leporis aut heri sui facit canem velocissime currere, et saltare; visio alterius canis inimici excitat in eodem ingentem iram, quæ ad cruentam pugnam impellit; levis stimulus aut etiam vox vel sibilus agasonis incitat equum ad trahendum gravissimum pondus, dum harum quædam causæ, v. g. visio ejusdem illius hominis vel sibilus ejusdem agasonis, nullum talem effectum obtinet in aliis ejusdem speciei canibus vel equis. Atqui hæc aliaque similia mente capi nequeunt, si visio, auditio, aut quavis alia sensatio non est nisi merus motus mechanicus. Nam si sensatio in mero motu, quomodolibet modificato et explicato, consistat, omnes locales motus inde consequentes non poterunt esse nisi effectus mechanicus aut pure physicus vel transformatio quædam illius motus materialis, qui realitatem sensationis dicitur constituere. Atqui omnino repugnat, ut motus levissimus, qualis esset aspectus leporis aut heri, vel auditio sibili, levissimus, inquam, motus, insensibilis lapidi, incapax loco movendi vel tenuissimam plumam, tales effectus producat in illo cane vel equo, et non producat in aliis etiam simillimis animalibus, nedum in entibus insensibilibus.

**Prob. 6.<sup>o</sup>** Denique ne nimius sim, certum est, animal esse substantiam specificè diversam tum a corporibus

omnibus inorganicis, tum etiam a plantis. Ergo debet habere operationes sibi proprias ac specificè diversas. Nullas vero haberet, si sensatio in puro motu locali et mechanico reputatur. Omnia enim corpora capacia sunt motuum ejusmodi (1).

Itaque nihil mirum, si Physiologi non pauci nec ignobiles, ex illis etiam, qui a materialismi placitis non penitus abhorrent, materialistarum hac in parte deliria relinquunt (2). Desinant ergo Physiologi materialistæ in phaenomenis materialibus ita se ingurgitare, ut nihil velint agnoscere, nisi quod oculi vident, manusve palpate possint, et in mediis hisce materiae motibus et effectibus nervorumque excitationibus agnoscant aliquid aliud ab his omnibus longe diversum et praestantius, quod sensationem nominamus (3).

Secunda pars sponte sequitur ex prima. Nam operatio manifestam reddit naturam virtutis ac principii operativi: siquidem *rei cujuslibet cognitio haberi non potest, nisi ejus*

quare potentia  
etiam  
sensitiva  
virtutem

(1) Fuse de his Ludovicus Lossada, *de Anima*, disp. 5, cap. 2, a num. 33.

(2) Apud P. Pesch., loc. cit. num. 84, pag. 188. Cfr. Balmes, *Filos. elem. Estética*, cap. 7, ubi absurdæ quædam materialistarum hypotheses circa principium sentiendi ex ipsis naturalibus scientiis confutat.

(3) Egregie hac de re noster Jacobus Balmes: «Los órganos de la sensibilidad nos ofrecen nervios, fibras, vibraciones, es decir, cuerpos en movimiento; pero ¿qué relación tiene un cuerpo movido con esa afección interna de conciencia, ó presencia íntima de lo que nos pasa á nosotros mismos y llamamos sentir? Imaginense fluidos tenuísimos, filamentos sumamente delicados, vibraciones rapidísimas, no se adelanta nada; los cuerpos se hacen más sutiles, pero no dejan de ser lo que son; todo esto no nos explica nada sobre el fenómeno de nuestra conciencia. La luz, reflejando sobre un cuerpo, llega á mis ojos y pinta el objeto en la retina; sea en buen hora; pero ¿por qué de esa pintura debe resultar la afección que llamamos ver? La campana herida hace vibrar el aire; este comunica su vibración al timpano, el cual á su vez la trasmite al nervio auditivo; se comprende perfectamente esa serie de fenómenos físicos; pero ¿por qué del ligero movimiento vibratorio, experimentado por esos filamentos nerviosos, y de su continuación hasta el cerebro, ha de resultar esa sensación que llamamos oír? Hágase la aplicación á los demás sentidos, y se verá que la física, la anatomía y la fisiología solo dan cuenta de movimientos, nos conducen hasta los umbrales de una region misteriosa, y nos

*operatio cognoscatur; ex modo enim operationis et speciei mensura et qualitas virtutis pensatur* (1). Atqui sensatio est operatio immanens, specificè distincta ab operationibus corporum, ad regnum sive minerale sive pure vegetale pertinentium, illisque longe praestantior. Ergo virtus etiam ac facultas sensitiva quamcumque activitatem inferioris naturæ specificè excedat in perfectione, oportet.

quandam  
altiorum, omni  
alia  
regni tum  
mineralia tum  
vegetalis  
activitate  
praestantiorum.

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

193. **Objicies 1.º** Inter sensationem et id, quod sentiri proportio et similitudo aliqua intercedere debet. Atqui per sensationem percipimus corpora corporeosque motus. Ergo et ipsa motus materialis et mechanicus erit.

**Resp. dist.** Major. Debet adesse proportio entitativa et secundum convenientiam in physica et naturali entitate, *neg.*; Intentionalis et secundum representationem. *conc.*; et *neg.* conseq. Non enim *simile simili* cognoscitur in eo sensu, quem volebant veteres materialistæ (2), per puram receptionem videlicet alicujus idoli aut imaginis objecti in organo, sed in alio sensu, qui suo loco explicandus erit, videlicet per receptionem excitationis aut determinationis ab objecto provenientis, *speciei impressæ*, qua potentia sensitiva excitetur ad actum immanentem sui generis producendum, qui est cognitio quædam vel vitalis imago ac representatio objecti.

**Objic. 2.º** Omnis sensatio, si res bene perpendatur, fit cum aliquo motu: sentiri quippe nihil potest, nisi praesens sit in organo impressio materialis ab objecto proveniens, quæ ad cerebrum transmitatur, ibique certas alias affectiones gignat. Ergo jure sensatio in motu quodam organico reponitur.

dicen: de aquí no puedo pasar. Y dicen bien, porque en efecto, el fenómeno de conciencia está separado del fisiológico por un abismo insondable; allí acaba la observación del fisiólogo, y se abren las puertas de la psicología». Balmes, *Filos. element. Estética*, cap. 6, num. 24.

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 1.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 84, a. 2.

Resp. *neg.* consequens.

«Aliud est quod hoc non fiat *sine illo*, aliud quod *hoc sit illud*. Exempli gratia, aliud est quod animal non ambulet sine pedibus, aliud est quod ambulare nihil aliud sit, quam habere pedes. In casu nostro transeat, quod quando tangimus, quædam corpuscula impellant, moveant, ac titillent tactum; cum gustamus, corpuscula sapida titillent palatum, etc. Adhuc tamen dico, quod licet sensationes non dentur sine motibus, impulsibus ac titillationibus organorum sentientium, ipsum sentire non est sensum moveri ac titillari, sed est percipere motus ac titillationes et alia objecta» (1). Physiologi ergo materialistæ hic idem illud vitium argumentationis incidunt, quod in Atomistis notabamus in *Cosmologia*, cum videlicet ex eo quod phenomena physicarum actionum localem motum comitentur, in mero locali motu sita illa esse contendunt. Cæterum impressiones ab objecto provenientes, et in organis receptæ, atque ad cerebrum transmissæ, negari nequeunt; aliud tamen non probant nisi antiquissimam doctrinam Scholasticorum, existentiam nempe *speciei impressæ*, quæ potentiam sensitivam ad actum suum determinet.

*Instabis.* Non solum in omni sensatione cernitur alteratio atque immutatio organica, verum nihil aliud præterea potuit invenire Physiologia ope accuratissimi examinis. Ergo sensatio est actio quædam pure mechanica et materialis.

*Resp., dist.* alteram partem antecedentis. Nihil potuit reperire Physiologia materialistica, quæ factorum rationes ultimas prætermittit, *transeat*; Physiologia, quæ factorum explicationes rationales investigat, *neg.* Nisi enim homo ad conditionem belluarum deprimitur, fatendum est præter facultates sensitivas nobis intellectum inesse, qui in iis, quæ sensus renuntiant, multas rimatur, ac deprehendit rationes, inferioribus facultatibus penitus impervias. Et sic in casu nostro intellectus multis argumentis adigitur ad agnoscendum in organicis illis alterationibus aliquam notam ac tesseram peculiarem, quæ illas a reliquis omnibus impressionibus immutationibusque specificè diversificat, atque ad

(1) P. Mauri, *Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 4, *Secundo dico*.

dignitatem veræ cognitionis evehit. Unde objectio aliud non probat, nisi quod sensatio sit operatio organica et materialis, non vero quod sit pure materialis et mechanica.

*Objic. 3.<sup>o</sup>* Vitiato vel corrupto organo, nulla sequi sensatio potest: itemque variata organi dispositione, variatur modus ipsius sensationis ac perfectio. Ergo vis sentiendi non differt ab organo materiali suisque dispositionibus materialibus.

*Resp. neg. conseq.* Nam ex antecedente hoc unum sequitur, organum recte dispositum requiri ad sentiendum, quod ultro fatemur (1), quia sensus est facultas organica; minime vero exinde habetur organum solum, utcumque perfectum beneque temperatum, sufficere absque activitate qualitativis omnibus ac formis naturæ brutæ, superiori. Cæterum cum organum sit subjectum et instrumentum animæ virtutisque sensitivæ, nihil mirum, si ex male affecto vel penitus læso vitiosa aut prorsus nulla sequatur sensatio.

*Objicies 4.<sup>o</sup>* Quamquam motus hi mechanici, quos nunc experimur, nullam habeant affinitatem cum sensationibus et cognitionibus, fieri tamen forte possit, ut motus mechanici novo aliquo modo dispositi et complicati naturam rationemque cognitionis induant. Ergo ex diversitate specifica motuum mechanicorum a sensationibus perperam excluditur materialistarum doctrina, ut absolute repugnans.

*Resp. 1.<sup>o</sup>* Adversarii hoc argumento se conjiciunt in meras conjecturas, divinando id quod forte possit accidere: qui certe disputandi modus nec rationalis est, cum argumenta evidentiæ in oppositum suppetunt, nec tolerari potest in hominibus, qui experientiam perpetuo jactant, eamque tamquam unicum veritatis fontem agnoscere profitentur.

*Resp. 2.<sup>o</sup>* *Neg. ant.* Nam *purus* motus localis et mechanicus, utcumque dispositus ac variatus, naturam induere nequit sensationis. Si purus motus localis est affectio subjectiva, ideoque essentialiter distincta a quavis cognitione, quæ repræsentationem essentialiter importat; dicere, purum

(1) Vide Aristotelem ac S. Thomam (lib. 2 *de Anima*, lect. 24), de temperamento ad sentiendum necessario disserentes.

motum ejusmodi accidentaliter variatum converti posse in cognitionem, est quadrata rotundis permiscere.

**Instabis.** Atqui sensatio est affectio quædam pure subjectiva. Nam nihil reapse percipimus nisi organorum nostrorum, ac potissimum cerebri affectiones, ex objectorum excitatione productas. Id demonstrat Physiologia, quæ, analysi sensationis peracta, nihil aliud deprehendit. Id Physica ipsa testatur, quæ docet, sonos aliud non esse præter vibrationes corporis sonori, quæ ad aures appellunt, nec lucem et colores præter vibrationes ætheris, quæ pulsant nervum opticum oculi, et ad cerebrum transmittuntur. Atqui audimus sonos, et videmus lucem et colores. Ergo reapse auditio et visio non sunt nisi meræ perceptiones subjectivæ affectionum quorundam organorum ac cerebri.

**Resp. neg. assert.** Ad probationem, respondeo. 1.<sup>o</sup> Transmissa tota argumentatione, consequentiam *neg.* Nam dato et non concesso, quod nihil percipiamus nisi organorum affectiones, perperam adhuc concluditur, quod sensatio sit affectio quædam pure subjectiva, et pejus adhuc, quod sensatio nihil sit aliud, quam mera affectio vel motus organi. Nam etiamsi sensatio non perciperet nisi organi affectionem, esset objectiva representatio affectionis, sicut actus conscientiæ vel reflexionis phænomenum internum animi vel animi ipsum representantis, non est pura affectio subjectiva, sed est imago cujusdam objecti, ac proinde affectio objectiva. Nec possibile est actum cognitionis hac ratione imaginis ac representationis objecti spoliare. Deinde pejus concluditur, quod sensatio consistat in puro motu vel organi affectione. Undenam enim probant adversarii perceptionem motus vel affectionis organicæ esse motum vel puram organi affectionem?—**Resp. 2.<sup>o</sup> neg.**, quod nihil sensatione percipiamus nisi affectiones organorum vel cerebri: immo vero ex conscientiæ testimonio edocemur contrarium. Illud enim percipimus sensationem, cujus notitiam assequimur. Atqui sensationem, saltem si excipiatur sensatio interna, nullam notitiam assequimur vibrationum in organis vel cerebro receptorum, sed objectorum, quæ hujusmodi vibrationes et excitationes immittunt. Nec vero *Physiologia* contrarium demonstrat; quia quamvis in observatione phænomenorum,

quæ sensationem comitantur, oculi aliive sensus nihil præter materiales affectiones deprehendant, at ratio aliquid aliud præterea certo cognoscit, quod Physiologia negare nequit; et si negaret, audienda non esset, quia manifestæ veritati reluctaretur. Atque idem dic de Physica. Nondum enim Physica demonstravit, qualitates sensibiles, sive lucem et colores, sive sonum, sive alias, nihil aliud esse præter motus corporis colorati, sonori, etc. Sed etiamsi verum id esset, falso concluditur exinde sensationem solum percipi organi vel cerebri affectiones aut vibrationes: certum namque est sensationem attingi, et cognosci objecta ipsa vel objectivam realitatem eorum. Quare licet qualitates sensibiles in motu consistere, sensus non motus organi, sed corporis, sensu percepti, motus cognoscere dicendus esset. Verum objectivitas sensationis satis contra Idealistas in limine *Cosmologiæ* probata est, et iterum, si necesse sit, confirmabitur in generali tractatione cognitionis.

**Ojic. 5.<sup>o</sup>** ex mensura sensationis ac lege Weberiana, ut superius innueramus. Nam quod mensurari potest materiali mensura, certamque servat relationem cum materiali excitatione, materiale est. Atqui sensationes mensurari possunt, certamque habere deprehenduntur relationem cum excitatione materiali organi. Ergo sensatio est phænomenum aliquod pure materiale.

**Respondeo, dist. Major.** Quod mensurari potest materiali mensura, certamque servat relationem cum materiali organi excitatione, materiale est, nempe a materia dependet in existendo, *trans.*; est phænomenum pure materiale, *sub-dist.*: nisi habeat certas notas, illud a conditione phænomeni pure materialis elevantes, *conc.*; si habeat ejusmodi notas, *neg.*

**Contradist. Minor.** Et simul sensationes habent manifestas notas, per quas a phænomenis pure materialibus distinguuntur, *conc.*; secus *neg.*

Quod sensationes mensurari queant, intelligi potest tripliciter, secundum magnitudinem, secundum intensionem et secundum tempus vel durationem. Ad hoc ut sensatio secundum magnitudinem mensuretur, oportet ut sit extensa. Et sensatio quidem, utpote quæ in organo recipitur, et per

organum exercetur, quemadmodum in proxime sequenti articulo probandum erit, extensa est: ex quo tamen nullatenus sequitur, ipsam esse purum motum vel affectionem mere materialem. Quid enim vetat, sensationem esse vitalem imaginem ac repræsentationem objecti et formam quamdam distinctam a motu locali ac vibrationibus materiæ, et nihilominus extensam esse seu divisibili modo esse in organismo extenso? Exemplum habes in anima plantarum, quam superius demonstravimus divisibilem atque extensam esse, et tamen non est motus, sed forma substantialis, eaque altioris ordinis supra puram materiam totumque regnum minerale. Quamvis ergo sensatio mensurari posset extensive, nullatenus ex eo solum probaretur, ipsam esse motum vel affectionem vel functionem pure materialem. Multo minus id sequitur ex eo, quod sensatio mensuraretur secundum intensionem, de qua mensura potissimum Psycho-Physiologi loquuntur, vel secundum durationem. Gradus siquidem intensionis plures paucioresve dari possunt etiam in formis simplicissimis et spiritualibus, quæ ratione illorum dicuntur virtualiter mensurabiles. Tempore etiam sæpe mensuramus entitates simplices et permanentes, non quia tempus in seipso est propria earum mensura, sed quia nobis inservit ad melius illarum durationem intelligendam: unde durationem v. g. rationalis animæ vel intellectionis mensurare possumus horis, annis, etc., non quod illæ toto eo tempore successive existant, sed quod earum simplex existentia, quæ tota simul est, melius nobis innotescit per comparisonem ad durationes successivas, familiares et notiores. Ex eo ergo quod sensatio mensurari posset, minime efficitur ipsam in motu vel affectione aliqua pure materiali sitam esse.

Neque vero id magis sequitur ex eo, quod sensatio cum excitationibus vel impressionibus materialibus ab objecto provenientibus certam relationem servet. Ut enim suo loco explicabitur, huiusmodi excitationes continent id, quod veteres Philosophi *speciem sensibilem* impressam dicitabant, quæ virtutem sensitivam animæ complet, ac determinat ad actum, et simul cum ea efficienter concurrat ad sensationem. Nihil ergo mirum, si pro majori vel minori excitatione, *cæteris paribus*, intensior vel minus intensa, perfectior vel minus

perfecta sensatio sequatur. Quamobrem etiamsi minor propositio concederetur, nihil evinceret objecto.

Cæterum utrum sensatio exacte mensurari queat, quidve dicendum de Weberiana lege, necesse non est hic judicare, quia recentiores istæ doctrinæ re vera non officiant stabilitatæ a nobis propositioni. Id unum notatum volumus, prædictam legem rejici, vel certe non satis accurate latam videri etiam non paucis scriptoribus rei psycho-physiologicæ (1). Et merito quidem, quia in illa lege investiganda ratio non est habita nisi materialis excitationis, ab objecto provenientis. Atqui eadem materialis excitatio potest magis minusve intensam sensationem, ut alia omittam, pro dispositione organi eam recipientis, et etiam pro gradu attentionis animæ, producere. Ergo nisi hæc etiam, quæ pro singulis casibus particularibus variare in infinitum possunt, perpendantur, ac præ-

(1) «La justesse de la loi de Weber, inquit cl. Farges (*Le Cerveau, l'Âme*, etc., pag. 225 in nota) a été niée radicalement par plusieurs observateurs tels que Hering. Un plus grand nombre ne l'adoptent qu'avec des réserves ou des variantes, par exemple: Aubert, Delboeuf, Müller... etc. (*Voy. Revue philo.* 1877, tom. 3, p. 225, un article de M. Delboeuf). Ipsemet Wundt non dubitavit hæc scribere: «L'investigation expérimentale a montré, que cette loi a seulement une valeur empirique approximative. Elle s'applique presque exactement aux excitations d'une énergie moyenne; mais, dans le voisinage du seuil de l'excitation et de la hauteur de l'excitation, elle présente des écarts extrêmement considérables». W. Wundt, (*Elements de Psychologie-physiologique*, trad... par le Dr. Elie Rouvier, pag. 378. Paris, 1886).

Et alibi: «Cette loi (de Weber) présente la concordance la plus précise et la plus étendue avec les expériences les plus variées, qui ont le son pour objet; elle a une valeur plus restreinte pour les actions lumineuses, les sensations de pression et de mouvement; elle est absolument incertaine, relativement aux sensations de température et aux sensations gustatives; mais pour les sensations olfactives et les sensations de la sensibilité générale, il n'existe point d'expériences à ce sujet, et même ces dernières son d'une exécution très difficile. Si l'on examine ce résultat, sans avoir égard aux conditions physiologiques spéciales de l'irritation, on semble autorisé à émettre l'assertion suivante: la loi de Weber n'a pas une valeur universelle; elle s'applique seulement à quelques domaines sensoriels et ne convient approximativement à la plupart d'entre eux, que dans certaines limites». Job. *ibid.*, pag. 391, 392.



oculis habeantur, nunquam poterit ex solis excitationibus objecti judicari, quanta futura sit sensationis intensio (1).

**Objc. 6.<sup>o</sup>** Materia, accedente organizatione, novas vires acquirere potest. Ergo concludere licet, facultatem sensitivam in materia organizata sitam esse, sensationem autem aliud non esse præter hujusmodi materiæ motum.

**Resp. dist. antec.;** si in materia organizata supponatur virtus quædam altior omni virtute pure materiali, *conc.*; si non supponatur, *neg.*, vel *subdist.* Talis materia potest acquirere novas vires ordinis pure materialis varie modificatas, *trans.*; novas vires a reliquis viribus materialibus essentialiter distinctas, qualis est virtus sentiendi, *neg.*

#### ARTICULUS IV.

##### Utrum sensus sit potentia organica, cujus actus per organum exerceatur.

Status  
questionis.

194. In præcedenti articulo contra materialistas demonstratum reliquimus sensationem non esse purum motum vel operationem mere materialem, sed longe altioris ordinis, quæ proinde postulet etiam virtutem ac potentiam, omnibus naturalibus qualitatibus regni mineralis et viribus vegetativis præstantiorem. Nunc ad penitus declarandam naturam et actionis et virtutis sensitivæ, quærimus e converso contra cartesianos, utrum sensatio quamvis non sit operatio pure materialis, exerceatur tamen per organum corporeum, tamquam per instrumentum proxime et immediate concurrens ad talem actum, an vero sine concursu proximo et immediato ullius organi, fere sicut exercetur intellectio, ut nunc supponimus, ac demonstrandum erit in altero volumine contra materialistas. Et consequenter quærimus, utrum facultas sentiendi ita sit viribus naturalibus et vegetativis præstantior, ut nec pendeat sive in essendo sive in operando a materia vel organo corporeo, an potius sit virtus quædam organica, seu organo affixa

(1) Vide Bonniot S. J., *L'Âme et la Physiologie*, pag. 121 seqq., Paris, 1689. Cfr. Rev. D. Fargès, op. cit., pag. 224 seqq.

tamquam verus actus materiam informans. Si primum dicatur, virtus illa erit spiritualis seu independens a materia, sicut intellectus, et in sola anima erit tamquam in subjecto, utpote accidens ejus, non vero in materia; nec proinde materiæ seu corpori actum sentiendi communicabit, sicut virtus vegetativa v. g. communicat vegetationem, quippe quæ fit, et recipitur in organismo; sed ipsa sola agit, vel anima per ipsam, absque ullo tamen consortio et concursu etiam instrumentali proximo et immediato corporei organi, cujus jam nullæ aliæ poterunt esse in sensatione partes vel munus, quam puræ conditionis, sicut corpus habet munus puræ conditionis, fatentibus omnibus, etiam respectu intellectiois in hac vita, dum durat status unionis cum anima rationali. Sin alterum, virtus illa sensitiva non est in sola anima tamquam in subjecto, sed in materia (1), et est actus hujus, ita ut nec esse formaliter possit nisi in organo, nec agere nisi per organum et cum organo, tamquam necessario instrumento: unde actio illius, nimirum sensatio, indivisibiliter tribuatur toti composito seu conjuncto ex potentia et organo, id est organo animato ac vivificato virtute animæ. Ideoque si organum vitietur, aut corrumpatur, jam non aderit amplius virtus sensitiva, ex defectu subjecti convenienter dispositi; et similiter si anima separetur a corpore, jam non amplius retinet formaliter virtutem illam, sed solum radicaliter, quia nimirum virtus illa est organo affixa, et incapax existendi extra organum, licet anima semper possideat in se integram suam perfectionem et virtualitatem, ut, si materiam denuo informet, et adsit organum aptum ac rite dispositum, illico effluat ex sua substantia virtus illa sentiendi, quæ illud actuet (2). Verbo,

(1) Nimirum vel in sola materia, ut plures Scholastici arbitrabantur, vel in toto composito ex anima et corpore, ut docent ceteri cum S. Thom. 1 p., q. 77, a. 5, 8; *de Anim.*, a. 19; 4.<sup>a</sup> dist. 44, q. 3, a. 3; *de Som. et Vigil.*, lect. 1. Controvertitur enim apud illos Doctores, utrum subjectum potentiarum et accidentium corporeorum sit sola materia, an vero conjunctum ex anima et materia, sicut jam superius monuimus.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 8; *Quest. disp.*, quest. *de Anima*, art. 19; et 4.<sup>a</sup> dist. 44, quest. 4, art. 3, solut. 3. Cfr. *Ontolog.*, num. 322, pag. 920.

vis et potentia sensitiva, si organo est hoc modo affixa, perinde se habet in *essendo* et *operando*, ac potentia vegetativa et qualitates omnes corporum materiales, quæ omnes sunt actus et formæ materiæ, quæ faciunt unum cum illa, nec possunt subsistere, nec operari nisi indivisibiliter cum eadem.

Prima sententia  
Platonis et  
Cartesianorum:

Circa controversiam hanc sic expositam, Plato inter philosophos (1) et Plotinus ac Simplicius (2) aliique, quos tacite refert Angelicus (3), dicebant animam solam sentire, sicut sola etiam intelligit, quin corpus in operatione sensitiva efficienter concurrat; unde sequitur, quoniam ex actus natura cognoscitur ac dimetienda est potentia, virtutem quoque sensitivam non esse organicam, sed separatam, vel independentem a materia, vel spiritualem. Eandem sententiam secutus postea est Gregorius Ariminensis (4), et cartesiani (5); eandemque tenent recentioribus temporibus rosminiani et alii auctores peripateticis doctrinis infensi (6). Secundum hanc sententiam, ut eam quidam explicant, visio v. g. vel auditio non exercetur ab oculi vel auris organo,

(1) Vide S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 5, ad 3.<sup>um</sup>; quest. 84, art. 6; quest. de Anim., art. 10; 2.<sup>a</sup> Contr. Gent., cap. 57, etc.

(2) Apud Tolct., de Anim., lib. 2, q. 12, paragr. In hac difficultate...

(3) 4.<sup>a</sup> disp. 44, q. 3, a. 3, quest. 1. Cfr. quest. de Anim., art. 10; et 1 p., quest. 77, art. 8.

(4) Apud Suar., de Anim., lib. 2, c. 3, n. 2.

(5) Vide Le Grand., Institut. Philos. secundum principia D. Renati Des Cartes, Pars octava, art. 10 seq.

(6) «L'unique principe immédiat et l'unique sujet de la perception externe est un agent immatériel qui n'est autre chose que l'âme pensante. Abbé F. Duquesnoy, *La perception des sens, opération exclusive de l'âme*, vol. 1, pag. 50. «Toute matière, dit l'abbé Duquesnoy, fut-elle organisée et vivant, est absolument incapable d'accomplir les actes de connaissance les plus simples et les plus faciles, ceux qui nous sont communs. nous n'en saurions douter, avec la bête elle-même... Ainsi, notre doctrine enlève à la matière une opération que tous, vulgaire et philosophes, nous sommes trop enclins à rapporter, du moins en partie, à l'organisme animé et vivant; elle la restitue tout entière à l'âme, à l'esprit, comme à son unique auteur». Abbé Duquesnoy, op. cit. vol. 1, pag. 6, apud cl. Theodorum Fontaine, de la Sensation et de la pensée, pag. 29. Louvain, 1885.

virtute animæ instructe, sed a sola anima, omnisque sensitio, v. g. visio aut auditio, huc revocaretur, ut anima quasi domi reclusa notaret, atque animadverteret impressiones ac phænomena, quæ corpora circumstantia per suas qualitates, v. g. colores et sonos, efficiunt in organis (1).

Huic opponitur sententia communis inter Scholasticos, docentes potentiam sensitivam esse organicam, quæ operetur cum et per organum, ita ut ex organo et virtute animæ illud informante unum existat principium adæquatam sensationem eliciens (2). Estque doctrina hæc corollarium necessario fluens ex verissima Scholasticorum doctrina circa unionem substantialem animæ cum corpore. Si enim anima et corpus cœeunt in unitatem substantiæ, necesse est, ut prima, tamquam vera forma, simul cum sua substantiali entitate communicet etiam alteri suam virtutem, quantæ capax esse materia potest, ut exinde una quoque efflorescat natura unumque operationum principium. Cum ergo materia vitam suscipere valeat, nec solum vegetativam, sed etiam sensitivam, ut locum habet in animali; utramque communicat anima per modum principii formalis actuando materiam, et utraque reperitur post unionem substantialem indivisibiliter non in anima sola, sed in toto conjuncto vel composito, quamvis ex participatione ac derivatione ab anima, fere sicut contingit animabus vegetativis et formis mineralium, quæ cum nulla potiantur virtute vel activitate, cujus non sit materia capax, huic se totas cum tota sua

altera  
communis  
Scholasticorum:

(1) «L'âme agit dans le corps, inquit cl. Duquesnoy, comme étant chez elle» de la façon, ut explicat, Fontaine, dont je suis dans mon appartement; un caillou lancé dans mes fenêtres brise une vitre: je regarde, et j'en vois tomber les éclats. L'âme ne fait pas autre chose à l'égard du corps; c'est un témoin, constatant les faits sans être mêlé aux événements. Ainsi la plupart des objets corporels que les philosophes regardaient autrefois et regardent trop souvent encore de nos jours, comme perçus par les sens, ne sont pas réellement perçus; ils sont simplement affirmés par une induction». Abbé F. Duquesnoy, op. cit., pag. 7.

Et Garnier (*Traité des facultés de l'âme*, vol. 1, pag. 431): «L'œil, inquit, ne voit pas la lumière, il la transmet seulement à la vue, qui est l'âme exerçant la faculté de voir».

(2) Vide S. Thom., 1 part. quest. 84, art. 6.

virtute communicant; secus atque rationalis anima, quæ non potest materiæ *totam* suam virtutem communicare, quia materia capax non est virtutis spiritualis intelligendi et volendi.

tertia quaedam  
sententia  
media.

Inter has extremas sententias media quædam proponitur a nonnullis recentioribus, qui quamvis fateantur, saltem verbo tenus, corpus vel organismum corporeum esse organum sensationis, et subjectum efficiens non esse animam solam, nec solum corpus, sed *conjectum* vel compositum ex utroque; nihilominus mordicus negant, corpus aut organum reapse *efficere* sensationem, nec alium concursum eidem tribuunt præter concursum conditionis *intrinsecæ*. Et ex hoc ajunt distingui sensationem ab intellectione: quia quamvis materia vel organum ad neutram operationem concurrere velint efficienter, esse tamen dicunt conditionem *intrinsecam* respectu sensationis, at respectu intellectionis habet rationem conditionis *extrinsecæ* (1). Verum hæc tertia opinio re vera non differt a prima cartesianorum: si enim organum nullatenus efficit sensationem, parum interest, sitne *intrinseca* vel *extrinseca* conditio, ut mox patebit.

Prænotanda  
pro vocum  
explicatione.

Antequam ad solutionem controversiæ veniamus, ne misere decipiaris in usu quarundam vocum, aut existimes contradictionem doctrinæ latere, cum audies interdum, aut leges, animam esse principium sensationis, interdum vero non animam solam, sed *conjectum* ex anima et corpore esse principium sentiendi; nota principium duplex esse, alterum *formale* seu fontem activitatis sensitivæ, alterum *effectivum*, tamquam subjectum eliciens et exercens actum sensationis. Et anima sola est principium formale sentiendi, quia ea sola est fons virtutis sensitivæ, quam non habet compositum ex sese, verum ex communicatione animæ. Postquam autem virtus illa effunditur, ut ita dicam, in materiam, eique communicatur ex informatione animæ (hac enim posita, ubi adest organum rite dispositum, illico efflorescit, et dimanat ab anima virtus sensitiva et organum atquat), jam totum compositum fit principium effectivum atque elicitivum sensationis. Simili quodam modo in igne vel aqua calida totum

(1) Ita cl. P. Palmieri, *Anthropolog.*, thes. 2.<sup>a</sup>

compositum facit calefactionem; quamvis enim solus calor est virtus calefaciendi, at calor non potest esse, nec calefacere nisi in materia vel corpore calido, materia vero vel corpus postquam ex informatione talis virtutis formaliter fit calida, reapse exsequitur calefactionem, seu calefacit. E converso intellectio est solius animæ per virtutem intellectivam, quia virtus hæc non est actus corporis, sed est spiritualis, ut nunc suppono; ideoque in homine sola anima intelligit, non solum quia ipsa est fons virtutis intellectivæ, sed quia sola efficit intellectionem, nec est ulla pars vel organum corporis, quod eliciat, vel exerceat intellectionem. Quare in homine intellectio non potest dici operatio compositi per modum naturæ operantis, sed solum per modum suppositi, quia totum compositum est persona, quæ denominatur intelligens, quamvis intellectionem sola eliciat anima per intellectum. E converso in sensatione, sicut in quavis operatione ordinis inferioris, totum compositum operatur non solum per modum suppositi, sed etiam per modum naturæ et causæ aut subjecti efficientis, quamvis per solam virtutem formæ communicatam materiæ.

Nota denique, potentiam vel facultatem sensitivam vel sensum quandoque sumi præcise pro virtute productiva sensationis, quæ ab anima sola derivatur; quandoque vero pro toto principio effectivo adæquate, nimirum pro organo animato.—Hisce pro questionis declaratione præstitutis, sit

195. PROPOSITIO. Sensus est facultas organica, et subjectum vel principium efficiens actum sensationis non est anima vel virtus sola animæ, sed compositum, nimirum organum animatum.

Prob. 1.<sup>o</sup> Ex communi auctoritate Scholasticorum, præeunte S. Augustino, qui sic in hanc rem scribit: *Neque enim ut oculus corporis videt alios oculos, et se non videt, ita mens novit alias mentes, et ignorat semetipsam. Per oculos enim corporis corpora videmus* (1). Et alibi: *Sensus autem oculorum non ob aliud sensus corporis dicitur, nisi quia et ipsi oculi membra sunt corporis. Et quamvis non sentiat*

Sensus  
est facultas  
organica.

(1) *De Trinit.* lib. 9, cap. 3.

corpus exanimæ, anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, et idem instrumentum sensus vocatur (1). Alias idem S. Doctor sensus vocat nuntios animæ, qui res externas eidem renuntiant, itemque januas carnis (2). S. Thomas nihil magis repetit in operibus suis post Aristotelem (3). Formæ, quæ per se non possunt esse, sed dicuntur entia, in quantum eis aliquid est (nimirum omnes formæ non spirituales), non habent per se operationem, sed dicuntur operari, in quantum per eas subjecta operantur.... Si igitur anima sensitiva (id est pure sensitiva, seu animalium anima) haberet per se operationem, sequeretur, quod haberet per se subsistentiam, et sic non corrumpeter corruptio corpore: unde etiam brutorum animæ essent immortales, quod est impossibile. Et tamen Plato hoc dicitur concessisse. Manifestum est igitur, quod nulla operatio partis sensitivæ potest esse animæ tantum, ut operetur, sed est compositi per animam, sicut calefactio est calidi per calorem. Compositum igitur est videns, est audiens, et omnia sentiens, sed per animam (nimirum tamquam per formale principium, a quo virtutem accipit). Manifestum est ergo, quod potentia partis sensitivæ sunt in composito, sicut in subjecto, sed sunt ab anima sicut a principio... (4). Alibi scribit idem S. Doctor, quod sensus communis est animæ et corpori; sentire enim convenit animæ per corpus (5). Item: Principium (videlicet effectivum) visionis non est visus tantum, sed oculus constans ex visu et pupilla (6). Alio in loco docet, quod sensatio fiat mediis organis, per instrumentum

(1) Lib. 11 de Trinit. cap. 2. Cfr. lib. 2 de Genesi ad litter. cap. 24.

(2) Lib. 10 Confession., cap. 6 et cap. 10. Cfr. Serm. 65 (al. 13) cap. 4. Enarrat. in Psalm. 146, num. 13.

(3) Vide Aristot. de Anim., lib. 1, cap. 4, text. 66; lib. 3, cap. 4, text. 6; de Sensu et Sensato, cap. 1.

(4) S. Thom., Quæst. disput., quæst. de Anim., a. 19. Cfr. 1 p., quæst. 77, art. 5, 8; de Spirit. creat. a. 4 ad 3; Comp. Theol., cap. 89; 4.<sup>o</sup> dist. 44, quæst. 3, art. 3, solution. 1.

(5) De Sensu et Sensato, lect. 1. Cfr. 1 p., quæst. 77, a. 5, et q. 75, a. 3, et 4; de Anim., art. 19; 2.<sup>o</sup> Contr. Gent. c. 57.

(6) De Potent., quæst. 3, art. 9, ad 22.

organorum etc. (1): alibi, quod potentia seu virtus sensitiva, secus ac virtus intellectiva, sit actus organi corporei (2), ac proinde materialis (3), quæque non sit in sola anima tamquam in subjecto, sed in conjuncto (4): alibi demum, quod organum ipsum sit principium operationis sensitivæ, vel principium quod sentit, vel principium quo sentimus (5).

Eadem est doctrina Alberti M., Alexandri Halensis, S. Bonaventuræ (6), Scoti, et reliquorum capitum Scholæ, quorum loca necesse non est referre. Vide etiam Suarez (7), Valentiam (8), Toletum (9), Rubium (10), Conimbricenses (11), Bañez (12), Joannem a S. Thoma (13), Matrium et Pontium (14), ut cæteros omittam, quibus adhaerent recentiores communissime, ut Liberatore, Tongiorgi, Van der Aa,

(1) 1 p. quæst. 77, art. 5, in corp., et ad 3.<sup>am</sup>; quæst. 78, art. 1; lib. 3.<sup>o</sup> de Anima, lect. 1.<sup>a</sup> et lect. 7; Quæst. disput., quæst. de Anima, art. 10; de Verit., quæst. 26, art. 1; Quodlib. 10, art. 8; 4.<sup>o</sup> dist. 44, quæst. 76, art. 3; 2.<sup>o</sup> Contr. Gent., c. 82, vers. fin. etc.

(2) 1 p., quæst. 12, art. 3, 4; quæst. 76, art. 1, ad 1.<sup>am</sup>; quæst. 86, art. 1; Compend. Theol., cap. 62; de Anim., lib. 2, lect. 12, paragr. b, etc.

(3) 1 p., quæst. 12, art. 4, ad 3.<sup>am</sup>, etc.

(4) 1 p., quæst. 77, art. 5, 8; quæst. de Anima, art. 19; 4.<sup>o</sup> dist. 44, quæst. 76, art. 3; de Somno et Vigil. lect. 1, paragr. α.

(5) Quæst. dist., quæst. de Anima, art. 2, ad 3.<sup>am</sup> et 18.<sup>am</sup>; de Verit., quæst. 22, art. 5, etc.

(6) S. Bonavent., 2.<sup>o</sup> dist. 31, art. 1, quæst. 1, ad 3.<sup>am</sup>; 4.<sup>o</sup> dist. 49, part. 2, art. 3, quæst. 1, conclus.

(7) De Anim., lib. 1, cap. 2, num. 13, 28 ac 33. Cfr. cap. 9, num. 40; lib. 2, cap. 3, num. 2.

(8) In 1.<sup>am</sup> p., disp. 6, quæst. 3, punct. 3.

(9) In lib. 1, de Anim., cap. 1, tex. 11; lib. 2, quæst. 12, paulo post initium, Hæc sententia (Plotini et Simplicii) est aperte contra Aristotelem...

(10) De Anim., lib. 2, tract. de Objectis sensibil. quæst. 1, num. 22 seqq., et quæst. 2, etc.

(11) In lib. 2.<sup>am</sup> de Anim., cap. 1 sup. text. 3 et cap. 6, quæst. 1; lib. 3, cap. 1, in comment. text. 129, et alibi.

(12) In 1.<sup>am</sup> p., quæst. 77, art. 5.

(13) Curs. Philos., de Anim., tum in expositione definitionis animæ, tum ubi de Sensibus.

(14) Item in exponenda definitione animæ, et in tractatu de sensibus. In quibus locis videri possent etiam Arriaga, Semery, Lossada, Rhodes, Compton, Ulloa, Quiros, Mauri, etc.

Mendive, etc. (1), paucis exceptis, qui cartesianis placitis adhaerere, quam veterum sapientiam tenere maluerunt.

Probatur 2.<sup>o</sup> propositio. Ideo ex adversariorum sententia excluditur organum ab efficientia sensationis, quia nulla videtur esse proportio inter materiam corpoream, qualis est organum et praestantissimam operationem vitalem sentiendi. Atqui haec ratio inanis prorsus est, supposita unione substantiali animae cum corpore. Ergo...

Prob. Minor. α) Quia generatim inter instrumentalem causam ejusque effectum non est necessaria proportio secundum perfectionem entitativam; sed potest instrumentum active concurrere ad effectum praestantiorum, virtute nempe participata a causa principali. Scholastici autem docent organum esse instrumentum ad sensationem peragendam. β) Organum materiale, quod contendimus esse principium et subjectum efficiens sensationem, est instrumentum affabre elaboratum, nec nudum, sed informatum ab anima, quae se suamque virtutem sensitivam illi communicat, tamquam verus actus ac forma substantialis corporis. Non ergo est organum fons ac principium formale virtutis ullius vitalis, sed instrumentum conjunctum animae in unitatem substantiae compositi, totam suam virtutem ab eadem derivans ac participans. Itemque non est solum organum principium effectivum, adaequatum ac totale sensationis, sed organum cum anima, et virtute animae constituit integram causam et completam illius operationis. Atqui organum virtute animae instructum procul dubio non minorem perfectionem atque excellentiam praese fert, quam actus sensationis. Ergo.

Et re quidem vera, organum ac totum corpus per animam vere vivificatur, in seipso intrinsece transformatur, dicitur, et est proprie *vivens* et *animal*, habens proinde in sensu proprio vitam *in actu primo* seu vitam substantialem. Inter vitam autem in actu primo et vitam in actu secundo, seu operationes vitales consentaneas, non deest perfectio proportio: immo intelligi nequit, quomodo aliquid vivum substantialiter dici possit, nisi sit natura sua potens ad eliciendas

(1) Liberatore (*Cosmolog.*, num 4; *Psycholog.*, num. 27), Tongiorgi (*Physiol.*, num. 289), Van der Aa (*Organologia*, cap. 3, art. 2), Mendive (*Psycholog.*, num 63).

actus vitae consentaneos. Quamobrem existimo corpori animalis denegari non posse concursum et efficientiam in sentiendo, nisi negata vel perperam intellecta substantiali unione animae cum corpore. γ) Si non adest proportio inter materiam et sensationem, neque aderit inter materiam et nutritionem, nam haec etiam est actio vitalis, quamquam inferioris conditionis, re tamen vera superans materiae perfectionem. Dicendum ergo erit, nutritionem quoque solummodo effici ab anima: id autem ne adversariis quidem ipsis placet, et falsum esse constat. Quin etiam ob eandem rationem dicendum foret, combustionem aliasque materiales inorganicorum corporum actiones a sola forma effici, nullatenus vero a materia; quia non minor est proportio inter materiam, animam et virtute sensitiva praeditam, et sensationem, quam inter materiam, formam ac virtutibus materialibus instructam, et specificas illarum actiones.

Prob. 3.<sup>o</sup> Sensus est facultas organica, si organum ipsum sentit vere, seu efficit sensationem. Atqui organum revera sensationem efficit. Ergo...

Minor. α) Ex sensu communi omnium non minus videntur organa sensuum nostrorum instrumenta virtutis sensitivae, quam lingua v. g. ad loquendum, et pedes aut manus sunt instrumentum potentiae loco-motivae ad ambulandum, vel movendum, atque impellendum pondus quodlibet. Atqui lingua, pedes et manus ita sunt virtutis animae instrumentum, ut vere actionem loquendi, ambulandi, et impellendi efficiant: et ita oculus dicitur videre, *auris audire* (1); oculus autem vel auris non est virtus. Secus autem neque intelligi posset, quo pacto dicantur, habeanturque ab omnibus organa ut instrumenta. Ergo... β) Idem quoque patet experientia et conscientiae testimonio. Intime namque sentimus omnes, certam partem corporis, eamque externam, *dolere*, cum dolet caput, calorem *experiri*, cum ignis admovetur, *videre*, *audire* (2), etc. γ) Idem ratio multiplex confirmat. Et primo

(1) *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc. S. Paulus, ad Corinth. 1.<sup>a</sup>, cap. 2, vers. 9.

(2) Cfr. S. Thom., 1.<sup>a</sup> p., q. 77, a. 5; *de Somno et Vigil.*, lect. 1, paragr. c, et alias saepe.

quidem ea operatio *effective* procedere dicenda est ab organo, quæ, etiam suppositis reliquis omnibus ad sentiendum requisitis, variatur, pro sola organi variatione, aut cessat præcise ex vitio vel defectu organi. Atqui talis est sensatio: Ergo...

**Probat**ur Minor. Ut enim experientia constat, quando adest objectum proportionatum, si organa sana sint atque integra, sensatio infallibiliter sequitur; si autem organum non est, aut corruptum est, impossibile est sentire; si denique accidentaliter vitiosa sint organa vel male affecta, puta ob senium, ægritudinem aut quamvis affectionem, sensatio quoque easdem subit vices (1). Prorsus sicut contingit in quavis alia actione, quam mediis instrumentis materialibus, calamo, penicillo, dolabra, etc., operantur artifices.

**Dices**, id ita esse, non quia organum vere causet, efficiatque sensationem, sed quia est conditio, sine qua non potest illa exerceri ab anima.—**Respondeo** 1.<sup>o</sup> Ergo idem dici poterit de quovis instrumento, illud nimirum esse meram conditionem, non vero causam operationis, et ita de medio tollemus omnes causas instrumentales. Certe negari nequit, organa esse vera instrumenta sensationum, quemadmodum testatur experientia et sensus communis humani generis, nisi velimus significationem vocabulorum commutare.

**Resp.** 2.<sup>o</sup> *neg.* assertum. Nam conditio minime influit positive in actionem, sed concurrere solet ad actionem titulo dumtaxat applicationis causarum, quæ licet virtute activa polleant, non possunt illam in passum exercere, nisi rite applicatæ sint, ac liberæ omni impedimento. Quis autem dixerit organa requiri ad sentiendum titulo dumtaxat applicationis? Enimvero potest idem ipsissimum objectum eodem modo applicari diversis subjectis, vel eidem subjecto in diversis temporibus et adjunctis, et nihilominus sensatio erit in illis valde diversa ex sola subjectiva organorum varia affectione. «Profecto, inquit P. Lossada, si res, quæ per se ac necessario præsupponitur semper ad effectum A, quæ

(1) Cfr. de hoc argumento Aristoteles et S. Thomas (lib. 1.<sup>us</sup> de Anim., lect. 10, vers. fin. super text. 66).

debet esse ipsi præsentissima, quæ nullo ex capite improprietatem ostendit ad influendum, et cuius perfectio mensura est perfectionis effectus; si res, inquam, hujusmodi non influit in effectum A, nulla erit regula physica generalis, qua in rebus creatis discernatur influxus activus» (1).

**Confirmatur** 1.<sup>o</sup> Cum S. Thoma ex diversitate sensuum. *Diversi sensus sunt perceptivi diversorum sensibilium, sicut visus colorum, auditus sonorum. Hæc autem diversitas manifeste ex dispositione organorum diversa contingit. Nam organum visus oportet esse in potentia ad omnes colores, organum auditus ad omnes sonos. Si autem hæc receptio fieret absque organo corporali, eadem potentia esset et omnium sensibilium susceptiva; nam virtus immaterialis se habet æqualiter, quantum de se est ad omnes qualitates. Unde intellectus, qui non utitur organo corporali, omnia sensibilia cognoscit. Sentire igitur non fit absque organo corporeo* (2).

**Confirmatur** 2.<sup>o</sup> Illud actu sensationem efficit, quod est *potens* sentire. Atqui non est *potens* sentire sola anima, nec virtus illius sola, sed organum animatum, seu conjunctum ex organo et animæ virtute. Nam secus surdus vere *posset* audire, et *cæcus* videre, etc. **Confirmatur** 3.<sup>o</sup> Demum sensatio in omnium sententia est actio immanens. Ergo in eodem subjecto recipitur, a quo profluxit. Atqui recipitur certe in organo, ut liquet experientia. Ergo...

**Prob.** 4.<sup>o</sup> Est actus organi facultas illa, quæ ad quamlibet operationem eliciendam eget immutatione, determinatione atque excitatione, proveniente ab objecto materiali, quæ si nimis valida fuerit, potest etiam facultatem ac virtutem ipsam penitus perimere. Atqui talis est virtus sensitiva. Ergo.

**Minor** alibi patebit ex dicendis circa necessitatem speciei sensibilis ad sentiendum: quam nunc liceat nobis tamquam certam postulare.

**Major** vero per se patet. Nam nulla excitatio atque impressio procedere potest ab objectis corporeis ac materialibus

(1) Lossada, *de Anima*, disp. 4, cap. 3, n. 62.

(2) S. Thom., lib. 2, *Contr. Gent.*, cap. 82, *Adhuc*, paulo post medium.

in animum, nisi sit substantialiter unitus cum corpore, etiamsi reperiatur in eodem loco cum illo. Ergo virtus sensitiva nisi organum actu et, eique substantialiter uniatur, nunquam poterit sensationem exercere.

Quæ probatio sic paulo aliter exponi posset: illud ipsum sentit, quod impressionem atque immutationem sensibilis objecti patitur, recipiendo nimirum speciem sensibilem. Atqui organum animatum, seu conjunctum, est id quod ejusmodi impressionem patitur, cum nequeat animus solus pati ab objecto corporeo. Ergo potentia sensitiva organica est (1).

Prob. 5.<sup>o</sup> Si organum non est verum sensationis principium et subjectum, eam simul cum anima et per animæ virtutem efficiens, nequit satis explicari essentielle discrimen inter sensum et intellectum. Ergo dicendum omnino est sensum esse potentiam organica.

Antecedens patet. α) Nam qui organo etiam prout animato quamlibet efficientiam in sensationem denegant, solam rationem puræ conditionis eidem assignant. Atqui organum etiam respectu intellectivæ operationis, pro hac vita, est conditio sine qua non, ut patet in his, qui aliquo sensu carent, et nequeunt propterea conceptus proprios qualitatum sensibilium ad illum spectantium eformare. β) Præterea si organum non influat effective, sed sit pura conditio, quid, quæso, differunt visio coloris et intellectio ejusdem? Non objecto, nam uterque actus supponitur ad eundem colorem terminari; non subjecto efficiente, quia ex adversariorum sententia tum visio tum intellectio ab anima sola eliciuntur, et quidem per eandem realiter virtutem.

Dices forte, visionem differre ab intellectione in modo productionis, quia illa extenso, hæc inextenso modo peragitur.—Verum quid est percipere rem extenso modo, nisi percipere per actionem extensam et corpoream? Et cur visio, et generatim sensatio fit extenso modo, nisi quia virtus sensitiva organica est? Numquid anima, prout intellectiva, non

(1) Cfr. S. Thom., 2.<sup>o</sup> Contr. Gent., cap. 57, Item Impossibile est.; et, Sed hoc esse non potest...; et cap. 82. Non enim sentire; et Sed jam ostensum est, versus fin.; et 1.<sup>a</sup> p., quæst. 75, art. 3 et quæst. 78, art. 3.

est intime præsens organo et corpori, immo et substantialiter unita? Cur ergo modus cognitionis in sensu et intellectu diversus est? Nulla itaque diversitatis ratio, nulla responsio apta reddi potest, donec concedatur virtutem sensitivam communicari ab anima corpori per unionem substantialem, et per corpus exerceri una et indivisa actione, quæ sensatio appellatur.

Nec valet dicere, organum pro sensatione esse conditionem intrinsecam, extrinsecam vero pro intellectione, idque sufficere ut sensus et intellectus atque illorum operationes specificæ et essentialiter discriminentur.—Nam vanum hoc effugium est. Quid enim, quæso, sibi vult hæc intrinseca conditio? Conditio intrinseca est, inquit, id quod etsi non eliciat actum sensationis, tamen unam naturam constituens cum eliciente actum, est ratio, cur ab eo actus esse possit (1). Atqui 1.<sup>o</sup> organum constituere unam naturam cum anima et organum non esse principium sensationis videtur pugnam conceptuum continere. Nam natura, etiam in adversariorum doctrina, nihil est aliud nisi principium intrinsecum primum, tum activum tum passivum, phenomenorum omnium, quæ motu continentur (2); ubi nomine motus comprehenduntur omnes mutationes, quæ ad actiones vel passiones corporum spectant (3). Itaque si ad rationem naturæ spectat esse principium tum activum tum passivum operationum, et organum, utpote conditio intrinseca pro sensatione, unam cum anima constituit naturam, quomodo fieri potest, ut organum non efficiat sensationem? 2.<sup>o</sup> Quando organum dicitur conditio intrinseca ex eo, quod unam cum anima constituit naturam, vel intelligitur constituere unam naturam in ordine ad sensationem, vel in ordine solummodo ad vegetationem aliasve actiones inferiores communes omni corpori etiam inorganico. Si primum, organum etiam est principium sensationem efficiens, ut patet ex conceptu naturæ, ab ipsis adversariis admissio. Sin alterum, nihil vetabit, quo minus organum dici possit, et

(1) Palmieri, *Anthropol.*, thes. 2; *Demonstr.* 3.<sup>a</sup> part., tom. 2.<sup>a</sup>, pag. 289. Romæ, 1875.

(2) Id. *Cosmolog.*, thes. 14, in enuntiatione ipsa propositionis et in probationibus, *ibid.*, p. 104, 107.

(3) Id. *ibid.*, pag. 107.

sit proprie conditio intrinseca etiam respectu intellectionis: quamobrem frustra invehitur duplex ille modus, quo concurrat organum ad sensationem et ad intellectionem, tamquam conditio intrinseca vel extrinseca, nec valet sufficienter explicare discrimen essentielle illarum vitalium actionum et potentiarum eas elicentium.

Confirmatur hoc argumentum, quia, detracto discrimine inter sensum et intellectum necessario, sequitur, aut in brutis non esse sensationem, prout Cartesius docuit, aut etiam esse intellectionem, prout multi recentiores perperam docent, et mox confutandum nobis erit.

**Prob. 6.<sup>o</sup>** Fundamentum potissimum oppositæ doctrinæ petitur ex eo, quod adversariis sensatio esse actio simplicissima videatur. Atqui falsum hoc est.

Et probatur 2) ex conscientiæ testimonio, quod non minus clare refert, sensationem *ab* extenso fieri, quam *ab* et *in* extenso recipi. Contrafacta v. g. gelidam aquam vel marmor frigidum, et videbis, quomodo sensus intimus tibi renuntiabit extensum aliquid esse id, quod experitur, et notitiam obtinet extranei corporis. Sane si primum partem dumtaxat manus, at postea totam paulisper manum, supra marmor extendas, experieris profecto sensationem frigoris crescere, non quidem intensive, sed extensive. Negari ergo nequit, sensationem illam, qua latet patet manus vel pars corporis marmor applicata, sese extendere. 3) Omnia argumenta, quæ ad ostendam simplicitatem sensationis producuntur, non aliud probant, quam hoc, adesse nempe in nobis sentientibus principium aliquod simplex, animam, quod sentiat in extenso, et colligat totam illam sensationem. Atqui aliud est adesse principium unum et simplex, quod totam experiat sensationem, et aliud sensationem ipsam simplicem esse.

Et confirmatur amplius hæc veritas. Nam etiam, cum plures sensationes, v. g. videndi, audiendi, odorandi, exercemus, experimur profecto esse in nobis aliquid unum ac simplex, quod videt, audit, atque odoratur in diversis corporis partibus, et sic in se colligit omnes illas sensationes, quin possit exinde concludi, eas esse unam tantummodo actionem, cum sint revera plures et numero et specie.

Ergo simili modo conscientia, quam habemus, unius alicujus sentientis in extenso, non probat actionem sentiendi non esse extensam. Nam licet organum extensum per singulas suas partes, ac proinde extenso modo, efficiat eadem sensationem, dummodo in singulis illis partibus atque in toto organo eadem sit anima, organum animans, et vivificans, ac fecundans ad sentiendum, et cum illo etiam indivise sensationem efficiens, necessario debet adesse in nobis conscientia *unius* alicujus per organum extensum sentientis, totamque sensationem colligentis. Immo ex ipsa conscientia sensationis doctrina nostra confirmatur. Ponamus enim duos hosce actus animi, actum, quo per manum vel corpus tango parietem, et alterum actum, quo intelligo ejusmodi tactum. Utramque hanc operationem ab eodem animo profectam conscientia refert, eidemque attribuit; sed diversimode, siquidem primam refert haberi ab animo extenso modo, alteram modo inextenso. Quid hoc est, actionem exercere modo extenso? aut «sentire extensionem extenso modo?» (1). Equidem non video, quid aliud sit, quam sentire extensum per actionem extensam. At potestne anima simplex ex se modo extenso operari? Ergo modus ille extensus in sensatione aliunde esse nequit, nisi quia principium extensum vere operatur?

196. COROLLARIUM. Ex hac doctrina sponte sequitur, in anima separata a corpore facultatem sensitivam non amplius formaliter existere. Si enim operari non valet, nisi in organo ac per organum; neque est nisi in organo, tamquam actus et forma ejusdem. Itaque organo indiget, ut existat, et organo corrupto, illico naturaliter desinit esse, sicut quævis alia forma materialis, sive substantialis sive accidentalis.

In anima separata non est formaliter virtus sentiendi.

#### SOLVUNTUR OBJECTIONES.

197. **Objic. 1.<sup>o</sup>** «Actus sensationis est actus immanens; actus autem immanens manet in eo, a quo elicitur, in eoque tantum. Si ergo simplex (anima) et corpus concurrunt simul, ut constituent principium sensationis, vel utrumque elicit totum actum, vel alterum unam partem, alterum partem

(1) Palmieri, *Anthropol.*, tom. 14, 2.<sup>a</sup> part., pag. 288.



aliam. Hoc secundum dici nequit, quia actus divisibilis foret realiter, quod simplici repugnat. Si primum dicatur, tunc actus manebit totus in simplici, et totus in corpore.

»Jam vero 1.<sup>o</sup> actus manens in corpore, inutilis esset, cum jam sit totus in alio: 2.<sup>o</sup> pro quovis actu sensationis haberemus duos actus completos, quod experientiae repugnat: 3.<sup>o</sup> haberetur actus sensationis formaliter extensus; actus enim, cujus subjectum est extensum formale, nequit esse nisi formaliter extensus» (1).

*Resp. conc. antec., dist.* consequentis primam partem. Utrumque elicit totum actum per unam indivisam actionem, *conc.*: per duas distinctas partiales actiones, *neg.* Secundam partem *neg.*

Minoris subsumptæ primum membrum *conc.*, alterum *transmitt.*, variant enim auctorum sententiæ circa receptionem sensationis, sicut etiam circa receptionem ipsarum potentialium, et generatim accidentium, ut alias innuimus. Qua de re nihil nunc speciatim definire oportet, quia in quacumque duarum istarum sententiarum difficultas egregie solvitur. Alii enim putant sensationem, quamvis a toto composito efficiatur, non tamen recipi in illo, sed in sola materia: qui proinde *negabunt* prædictum membrum Minoris subsumptæ. Alii cum S. Thoma volunt, sensationem et potentias sensitivas non in sola materia, sed in toto composito recipi tamquam in subjecto inhæsionis. Ex quorum sententia sic distingui posset propositio illa. Actus totus manebit in simplici et totus in corpore, totalitate formæ receptæ, *conc.*; totalitate subjecti adæquati, *neg.* Nam sicut effectus procedens a causa principali et instrumentali, totus quidem est a singulis, quia indivise ab illis producitur, ita ut totus effectus et singulæ illius partes requirant concursum utriusque, quin possit assignari vel minima portio illius, a sola causa principali vel a sola instrumentali profluens, sic etiam tota sensitio recipitur in anima, et tota in organo, non vero singillatim sumptis, sed quatenus conjunctum ex utroque est subjectum adæquatam prorsus necessarium ad hoc, ut vel minima particula sensationis existere in nobis possit.

(1) Ita Palmieri, *Anthropol.*, thes. 2.

Unde etiam in sententia S. Thomæ, *negatur* primum illatum; quia sicut sensitio essentialiter est tota ab anima, et tota ab organo, totalite nimirum effectus, non vero totalite causæ adæquatæ, nec concursus activus aut animæ aut organi superfluous est, sed prorsus necessarius; sic etiam tota sensitio est in anima, et tota in corpore, quin possit dari ulla pars sensationis, quæ non postulet subjectari in conjuncto. Alterum illatum pariter *nego* propter allatam rationem. Tertium denique ultro *concedo*, et concedendum omnino esse contendo ex communi Scholasticorum sententia.

*Instabis* 1.<sup>o</sup> Si sensitio est extensa, divisibilis erit, poteritque assignari pars ejus, quam faciat anima, et pars quam faciat organum.—*Respond. concedo*, esse divisibilem in partes integrantes pro extensione organi, in quo recipitur, sed *nego* assignari posse partes seorsim fluentes ab anima vel a corpore, propterea quod tota indivisibiliter fluat a composito, ut dictum est.

*Instabis* 2.<sup>o</sup> Sensitio est actio quædam, qua in unitatem indivisibilitatis reducuntur impressiones variæ ac multiplices, in organo extenso receptæ. Ergo et ipsa gaudere dicenda est eadem indivisibilitatis unitate (1).—*Respond. dist. antec.* Sensitio, prout in nobis contingit, qui conscientiam habemus eorum omnium, quæ animus simplex et spiritualis in organo et cum organo efficit, *conc.* Sensitio absolute et ratione sua, *neg.* Tum *neg. conseq.*; resque satis declarata manet in 6.<sup>a</sup> probatione.

*Objic.* 2.<sup>o</sup> Si sensitio est operatio conjuncti, materia quoque sentit. Atqui principium materialistarum est, *dicere*, quod materia sentiat.

*Resp. dist.* Majorem materia quoque sentit per virtutem sibi ab anima communicatam, *conc.*: per virtutem sibi propriam, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg. conseq.* Nam ut jam sæpius monuimus, *per animam conjunctum habet, quod tales operationes operari possit* (2).

(1) P. Palmieri, *Anthropol.*, thes. 11.<sup>a</sup>, 1.<sup>a</sup> part.

(2) S. Thomæ. 1 p., quest. 77, art. 5, ad 1.<sup>am</sup>

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Nullum accidens recipi potest in duplici subjecto. Sed tum sensatio tum virtus sensitiva sunt accidentia. Ergo nequeunt recipi tum in materia, tum in anima, prout recipi deberent, si ab utraque procederet sensatio.

**Resp.** Anima et corpus cum substantialiter unita sunt, non sunt amplius actu duo subjecta, sed unum: unde nihil mirum, si sustentare possunt accidentia communia, sicut habent unum esse commune, unamque indivisam constituunt substantiam. Et hoc quidem valet in sententia S. Thomæ: in altera vero *negatur*, quod sensatio vel virtus sensitiva recipiatur, nec debeat recipi in duplici subjecto, quia solum recipitur in materia.

**Dices.** Sensatio est actus immanens. Ergo si a toto composito procedit, in toto quoque composito recipi debet, et non solum in materia.—**Respondeo**, posse *transmitti* totum, quia ad solvendam difficultatem necesse non est hanc alteram tueri opinionem. Verum negari etiam potest consequens, quia sensatio, etiamsi ab anima et materia procedat, non desinit esse immanens; quia dummodo recipiatur in materia, jam verificatur, quod sit *in eo*, a quo efficitur.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Principium vitæ nequit esse corpus. Atqui in sententia scholastica corpus dicitur esse principium vitæ, nam sensatio est vita in actu secundo.

**Resp. dist.** Maj. Principium formale, *conc.*; efficiens *subdist.*; ex vi sua, *conc.*; ex virtute sibi a corpore communicata, *neg.*

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Sic se habet sensitivum ad sensibilia, sicut intellectivum ad intelligibilia. Sed intellectus intelligit intelligibilia sine corpore. Ergo et sensitivum sentire potest sensibilia.

**Resp. dist. Major.** Id est, sensibile est objectum sensitivi et intelligibile intellectivi, *conc.* Id est, eodem modo fit sensatio sensibilis, ac intellectio intelligibilis, *neg.* Tum *concessa* Minore, *neg. conseq.* (1).

**Objic. 6.<sup>o</sup>** Si sensatio foret organica et extensa, non posset ex illa probari animæ simplicitas. Atqui tamen Philosophi recurrunt ad sensationem, ut probent simplicitatem animæ. Ergo.

(1) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 75, art. 3. ad 3.<sup>am</sup>

**Resp. dist. Major.** Non posset ex illa, absolute et per se, probari animæ simplicitas, *trans.*; prout a nobis sensatio habetur, non potest ex illa probari animæ simplicitas, *neg.* Et Minore contradistincta, *neg. conseq.* Quamvis sensatio sit organica et extensa, tamen ita in nobis locum habet, ut simplicitatem principii alicujus, per organum extensum sentientis, evincat, siquidem experimur manifeste, esse unum aliquid idemque, quod extensam sensationem in se colligat, et prout a se per organum effectam renuntiet, quemadmodum superius notabamus.

Cæterum adeo falsum est, sensationem absolute ac per se principium simplex vindicare ex communi Philosophorum sententia, ut e converso Scholastici oppositum sibi persuaserint communiter. Notum enim omnibus est, veteres illos multum disputasse de divisibilitate animæ non solum pure vegetativæ, sed etiam animalis; et communissime sentiebant, animas omnes brutorum imperfectorum esse *divisibiles*, sicut reliquæ formæ corporeæ inferiores, de animalibus autem brutorum perfectorum acris agitabatur controversia inter varias scholas, aliis affirmantibus, aliis inficiantibus illarum divisibilitatem, prout superius fuse declaratum reliquimus. Et nihilominus tribuebant omnibus animalibus, sive perfectioribus sive imperfectioribus, aliquem sensum; nec patroni extensivæ seu quantitativæ simplicitatis animæ in animalibus perfectis, si unum aut alterum excipias (1), ut suam tuerentur sententiam, ad factum sensationis recurrerant. Recurrissent autem procul dubio, si putassent sensationem, non solum prout a nobis habetur, sed absolute et ex natura sua postulare principium simplex.

**Objic. 7.<sup>o</sup>** Vis sentiendi est simplex. Ergo nequit esse organica. Præterea si foret organica, non esset proprie potentia animæ, sed conjuncti vel compositi. Atqui tamen omnes potentia vitales sunt animæ, non vero compositi. Ergo...

**Resp. ad primum, neg. conseq.** Nam cum vis sentiendi dicitur organica, non aliud significatur, nisi quod sit actus organi. Quid autem vetat, quominus forma simplex possit

(1) Vide v. g. P. Sylv. Mauri, *Quæst. philos.*, quæst. 27, Dico 2.<sup>a</sup>